

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschieden] 1559**

Scena III.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

ADELPHI

Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,  
 Quam aut hic nunc manere, tam diu, aut tu persequi.  
 Sy. Iam ne enumerasti, quod ad te rediturum putes?  
 Sa. Hoccine illo dignum est? hoccine incipere Aeschinum?  
 Per oppressionem ut hanc mi eripere postulet?  
 Sy. Labascit. unum hoc habeo: uide si satis placet:  
 Potius, quam uenias in periculum Sannio,  
 Serues ne, an perdas totum, diuiduum face.  
 Minas decem corradet alicunde. Sa. hei mihi,  
 Etiam de sorte nunc uenio in dubium miser.  
 Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi:  
 Præterea colaphis tuber est totum caput.  
 Etiam insuper defrudet? nusquam abeo. Sy. ut lubet.  
 Nunquid uis, quin abeam? Sa. immo hercle hoc quæsi  
 syre,  
 Ut ut hæc sunt facta, potius, quam lites sequar,  
 Meum mihi reddat, saltem quanti empta est. Syre,  
 Scio te non usum antehac amicitia mea:  
 Memorem me dices esse, & gratum. Sy. sedulo  
 Faciam. sed Ctesiphonem uideo. lætus est  
 De amica. Sa. quid, quod te oro? Sy. paulisper mane.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

CTESIPHO, SYRVS.

C. Bs quibus homine, cum est opus, beneficium  
 a accipere gaudeas:  
 Verum enim uero id demum iuuat, si, quem  
 æquom est benefacere, is facit.

O frater

O frater frater, quid ego nunc te laudem? satis certo scio:

Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id uirtus quin superet tua:

Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,

Fratrem homini nemini esse primarum artium magi principem.

S. O Ctesipho. C. o Syre, Aeschinus ubi est? S. ellum, te expectat domi. C. hem.

S. Quid est? C. quid sit? illius opera Syre nunc uiuo: festiuum caput:

Omnia sibi qui post putarit esse præ meo commodo,

Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in se transtulit,

Nil pote supra. sed quisnam? foris crepuit. S. mane, ipse exit foras.

ACTVS SECVNDI SCENA IIII.

AESCHINVS, SANNIO,  
CTESIPHO, SYRVS.

Ae. Bi ille est sacrilegus? Sa. men' querit? num quidnam effert? occidi:

Nil uideo. Ae. ehem, opportune, te ipsum querito: quid fit Ctesipho?

In tuto est omnis res: omitte uero tristitiam tuam.

C. Ego illam facile uero omitto, qui quidē te habeam fratrem.

O mi germane, ah uereor coram in os te laudare

amplius,